

(Gen. vi). In hunc modum ordinatam esse dixi domum Dei, quæ est Ecclesia, professionesque clericorum et monachorum sic recte discerni, ut quæque, prout est arctior, sit et altior, et econtra prout est laxior, et sit inferior. Erat autem jam dictus episcopus illius professionis atque Regulæ et tunc, et antequam episcopus fieret, unde et rationibus, quas opponebam, difficilius ab eo concessum est. Quorsum istud? Videlicet ad insinuandam sanctæ contentionis causam, qua nunc professionis ejusdem nonnulli tirones versa vice gloriantur, se arcæ jam dictæ superiorem obtinere locum, quia jam non solum esum carniæ, verum etiam adipis usum sponte projecerunt. Verum istud neque illis adanget, neque istis minuit altitudinem meriti Ecclesiæ; namque Dominus claves regni cœlorum beato Petro tradidit. Ecclesia autem tantum potestatem habens generali synodo monachis (quoniam olei copiam non haberent), non carnes, sed carnibus cognatum indulisit adipem. *Qui infirmus est*, ait Apostolus, *solus manducet* (Rom, xiv). Conceditur namque illi natalitium quoque carnibus abstinere, si velit, si hujus infirmitatis est, ut putet escam et potum esse regnum Dei (*ibid.*). Tu quantumvis abstinentior monacho sis, non eris Badoch sive Abiathar, aut certe

A supra dictus Joiada sacerdos, idem quoad Elias sacerdos; et anachorita, sicut Elysæus quantumvis abundantiore spiritum habens, quam Elias, non erit idem quod Elias. Unusquisque in suo ordine beatus est; Elisæus obtinuit quod petivit. *Oro*, inquit, *domine, ut fiat spiritus tuus duplex in me* (IV Reg. ii); duplicia namque signa, quam Elias, operatus est. Sed divisiones gratiarum sunt, neque in omnibus superat alium, qui in una gratia copiosior est, ut fuit Elysæus in ista, id est operatione virtutum. Similiter qui simpliciter monachus est, potest in aliqua gratia præire illum, qui et monachus et sacerdos est; et qui simpliciter sacerdos, illum qui et sacerdos et monachus est; non tamen æquabitur illi, qui ordinis utriusque gratia præporet. **B** Quis tandem finis? Invitus namque in ista disceptationis valle tandiu teneor, ad pacifica, sedentis in monte, Domini verba, quæ prius audire cœperam, redire festino. Si te, o quisquis es, iste meus sermo læsit, tanquam *ferrum manubrio elapsum*, dum ligna cedimus forte incauti, ad unam de civitatibus fugitivorum me confugisse æstimato, et desine persequi (Deut. xix). FINIS.

Mysterium baculi abbatis:

*Collige, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.*

## ALTERCATIO MONACHI ET CLERICI,

QUOD LICEAT MONACHO PRÆDICARE

EDITA A DOMINO RUPERTO ABBATE TUITIENSI.

**320** MONACHUS. Inique agis, resistens mihi in faciem et opprimens os meum, ut non audeam aperire os in medio Ecclesiæ, et verbum Dei annuntiare. Dic tandem, qua te auctoritate posse putas os meum oppilare?

CLERICUS. Dicam, et me non inique agere æquitate ratione convincam. Primo, quia, dum profitearis monachum, confiteris te esse mortuum. Monachus enim non est, qui non est sæculo mortuus; mortuus autem quomodo est, cujus vox foris auditur? Igitur monachus non est, qui sæculo vivere, ex ipso prædicationis suæ clamore comprobatur.

MONACHUS. Fortiter et argute, ut tibi videtur, percussisti me. Sed jam nunc hoc ipsum telum, quod in me jecisti, retorqueo in te. Dico enim: Mortuus es et tu. Siquidem tam tibi quam mihi dicit **D** Apostolus: *Mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (Col. iii). An putas, quod solis hoc monachis dicatur? Nunquid omnes Colossenses, et alii quibus scribebatur, erant monachi? Aut nunquid de mortificatione professionis monachicæ hoc dicit, et non potius de mortificatione baptismi? **Dicit enim in Epistola ad Romanos: Quicumque ba-**

**C** ptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti cum ipso per baptismum in morte (Rom. vi), etc. Aut ergo tu quoque sic mortuus, tace de verbo vitæ, aut sine me tecum mortuum cum mortuo, eos qui adhuc sæculo vivunt mortificare.

CLERICUS. Non faciam. Nunquam hoc tibi licere concedam. Sacri canones vetant, authentici scriptores negant. Nam Pius papa decernit ut *Monachus prædicare non audeat quantumvis scientiæ sit*. Et Hieronymus dicit quia *monachus non habet docentis officium, sed lugentis*.

MONACHUS. Clerice, aperto ore, sed clausis oculis Scripturam legis. Si enim ita, ut tu sentis, hæc accipiantur dicta Hieronymi, consequitur Hieronymum ipsum, sibi nimis contrarium, ipsum Pium adversus suam sententiam jactis, ut *monachus prædicare non audeat cujuscunque scientiæ sit*, cum beatum Gregorium monachico habitu præfulgentem, et alios quamplurimos hujus ordinis viros apostolica sedes admisit ad officium apostolici fastigii, quod et usque hodie facere non desinit. Et Hieronymus, qui ait: *Monachus non habet docentis officium, sed lugentis,*

monachus est, dum hoc ipsum docendi officio dicit, et dum tota vita non solum docendo, sed etiam mansuram doctrinam scribendo, inter summos doctores meretur computari. Hieronymum, cujus patronam habes sententiam, monachum fuisse nesciebas? Non ergo mirer, quod tu adversus monachos tam inepte blateras, dum adeo sacrarum litterarum inexpertus sis, ut Hieronymum et Gregorium, cæteraque cœlestis palatii sidera monachos fuisse audiens attonitus stupeas.

CLERICUS. Quomodo ergo non sibi contrarius est quis eorum, dum facit ipse, quod alienum esse ait ab officio monachorum? Dic, tu, quomodo ergo Scripturam clausis oculis lego, quid aliud in tam manifestis sententiis invenisti, unde sensum meum corrigere possis, dummodo, præsumptione tua, Scripturæ vim non facias.

MONACHUS. Faciam, si mihi prius paululum ad interrogata respondeas.

CLERICUS. Interroga ut libet.

MONACHUS. Tu qui clericorum propugnator, monachorum tam vehemens expugnator es, qui gloriaris in clericatu, et cum hac professione super monachum suffultus et elatus, scisne hoc ipsum, cur dicaris clericus, et quid sit clericatus?

CLERICUS. Anne hujus nominis quod est clericus, etymologiam requiris?

MONACHUS. Illam quidem est facile exponere. Dicitur enim clericus, sorte electus. Amplius volo, Rem ipsam a te quero, quæ significatur hoc nomine, quod est clericatus. Quid hæres? Vel dic, vel minor, audi.

CLERICUS. Audio.

MONACHUS. Clericatus, non scientia litterarum non tonsura vel habitus tuus, sed altaris est officium. Et hoc ideo tali censetur nomine, quia, cum in veteri lege tribus Israel sorte divideret, Dominus terram in funiculo distributionis (Psal. LXXVII), tribus Levi, quæ in sanctuario ministrare debebat, sortem non aliam quam ipsum Dominum, id est altare Domini, accepit, videlicet ut altario serviens, de altario viveret. Igitur clerici sunt quicumque altario servant, nec aliud clericatus significat quam altaris officium.

CLERICUS. Accipio.

MONACHUS. Itaque concedere oportet, quod non ob aliud clericus dicaris vel sis, nisi quia fungeris ordinibus altaris.

CLERICUS. Concedo.

MONACHUS. Ast ego quoque eisdem ordinibus fungor. Nempe et cum auctoritate Regulæ meæ functus sum sacerdotio. Et fortassis dum adhuc Evangelium lectitas tantum, ego jam missas celebros.

CLERICUS. Negare nequeo.

MONACHUS. Igitur et ego clericus sum.

CLERICUS. Echo. Non (forte Ergo non) tu monachus es.

MONACHUS. Nihilominus. Tibi vero hæc opposita videntur, scilicet monachatus et clericatus, simulque esse non posse, somniat tuus, monachos non

æque aspiciens, oculus. At illa quidem diversa sunt, unde et singula sine alterutro esse possunt, ut in te vel in illo clericatus sine monachatu est; itemque in laico quolibet converso monachatus absque clericatu. Cui parem te esse non nego cum auctoritate canonum, qui monacho nullos gradus habenti, si in crimine lapsus fuerit, eundem poenitentiae modum præscribunt, quem et clerico, qui est levitici ordinis. Mihi autem qui cum splendore monachi ordinis, honore quoque sacerdotalis ac levitici fungor ordinis, nullatenus æqualem te videri patiar. Nam sicut verissime ait quidam: *Maria virgo, et Joannes virgo. Sed major proportio in Maria, quia Joannes tantummodo virgo. Maria autem et mater et virgo*; sic nihilum major proportio in me quam in te. Nam tu clericus tantum, ego et monachus et clericus sum. Diversa, inquam, ut dicere cœperam hæc sunt, sed non contraria; quippe quæ simul in eodem sunt. Jam nunc tenes quid confectum sit, scilicet me, qui monachus sum, etiam esse clericum, videlicet quia sacri altaris ordinibus functus sum.

CLERICUS. Negare nequeo.

MONACHUS. Tu autem ex eo quod clericus es, auctoritatem prædicandi tibi ascribes.

CLERICUS. Et hoc ita est.

MONACHUS. Mihi ergo hoc ipsum prædicandi jus detrahere non potes absque injuria.

CLERICUS. Vellem quidem, sed quia conclusus sum, nisi vinculum conclusionis hujus rupero, quidquam efficere non potero.

MONACHUS. Nunc interim propositum peragendum est.

CLERICUS. Quod propositum?

MONACHUS. Videlicet illud propter quod ista confecta sunt.

CLERICUS. Quid illud est?

MONACHUS. Scilicet ut appareat, quomodo Hieronymus doctor cum sit monachus non sibi sit contrarius dicendo, quod monachus non docentis habeat officium, sed plangentis, etc.

CLERICUS. Age, argumentare ut libet.

MONACHUS. Primo sciendum, quia hæc adversus Vigilantii blasphemias dicta sunt, in defensionem eorum, qui relinquentes sæculum et omnia sua dantes pauperibus vitam solitariam amplectebantur. De quibus paulo superius ait: *Nec a suo studio monachi deterrendi sunt a te linguis vipereis et morsibus sævissimis, quibus argumentaris et dicis: Si omnes se recluserint et fuerint in solitudine, quis celebrabit ecclesias, quis sæculares homines lucrifaciet?* Et paulo post: *Monachus non doctoris habet officium, sed plangentis.* Et hæc quidem dicta sunt de vita monachorum tantum. Cæterum ad Nepotianum scribit de vita monachorum et clericorum, id est eorum qui monachi pariter et clerici sunt.

CLERICUS. Hem, tu hunc titulum sensu tuo perverse exponis.

MONACHUS. Quinam perversus ego?

CLERICUS. Non sic accipi debet.

MONACHUS. Quomodo ergo? An putas quod scribere proponat hinc regulam monachorum, hinc regulam clericorum? Lege sequentia non dormitantibus oculis, et ita invenies ut dixi. Nam et Nepotianus, ad quem vel propter quem scribit, unus idemque monachus pariter et clericus est. Ait enim illi post aliqua. *Scio quidem ab arunculo tuo beato Heliodoro, qui nunc pontifex Christi est, et didicisse quæ sancta sunt, et quotidie discere, normamque vitæ ejus, exemplum habere virtutum. Sed et nostra qualiacunque suscipe, et libellum hunc, libello illius copulato, ut, cum ille monachum te erudierit, hic clericum doceat esse perfectum.* Ita incipiens instituit eos in hoc uno Nepotiano, qualiter se habeant hi qui utriusque ordinis, id est clericalis et monachici sunt. Verbi gratia, cum sicut in sequentibus ait propter officium clericatus, aut vidua visitatur, aut virgo. Idcirco epistola illa sic intitulatur De vita clericorum vel monachorum, quorum ut ipse in eadem ait, *et sacerdotium proposito, et propositum ornatur sacerdotio.* Ad eum autem, qui solummodo monachus est, et hoc ipsum perdit, illius epistola dicta sunt quam ad Heliodorum scripsit.

CLERICUS. Unde ita colligis?

MONACHUS. Ex ipsius epistolæ verbis. Nam cum illum argueret eo quod propter affectus parentum, et propter expectationem hereditatis in turba esset, et diceret ei: *Quid facis in turba, qui solus es,* post aliqua subjungens, *si te, inquit, ad clericatus ordinem pia fratrum blandimenta sollicitant, gaudebo de ascensu, timebo de lapsu.* Siquidem quod ibidem ait: *Mihi ante presbyterum sedere non licet,* etenim non in sua persona loquitur, cum et ipse sit presbyter, sed in persona ipsius cui scribit, qui, cum solum sit monachus, nondum pervenire meruit ad illum ordinem clericorum, quo, ut ibidem ait, *apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt.* Itemque epistola illa ad Paulinum indicat ipsum Paulinum solummodo esse monachum, et ideo non habere quid faciat in urbibus. Ait enim

A illi: *Si officium vis habere presbyteri, si episcopatus te vel opus vel honor forte delectat, vive in urbibus et castellis, et aliorum salutem lucrum fac animæ tuæ.* Itaque non sibi contrarius Hieronymus, quia non solum sibi, sed et omnibus docendi auctoritatem tribuit, quorum et *sacerdotium proposito, et propositum ornatur sacerdotio.* Neque contra suam sententiam agit sedes apostolica in eo quod et monachos prædicare vetans, monachos tamen admittit ad officium apostolici fastigii. Cum dilatas os ad loquendum, prius, quæso, aperi oculos ad legendum.

CLERICUS. Iracunde loqueris?

MONACHUS. Imo zelo zelatus sum pro domo Domini. Tu potius, quia victus es, iratus es, et quia deficiis sententiis, ad injurias prorumpis. Sed, quæso te, paulisper sustine. Adhuc unum est, quod te non patior ignorare.

CLERICUS. Quid illud est?

MONACHUS. Cur apostolicæ sedis auctoritas, vel prædicta Hieronymi sententiæ, monachos illos qui absque clericatu sunt ab officio prædicationis arceat?

CLERICUS. Age, quantum vis loquere, quoniam coepisti mira et inopinata proferre.

MONACHUS. Mira plane et magna. Cui tamen hæc mira vel magna videntur, magnus vel mirandus non est, quia parum in Scripturis se profecisse sibi testis est.

CLERICUS. Dic tandem quidquid illud **322** est.

MONACHUS. Apostolus loquens de prædicatoribus; *Quomodo, inquit, prædicabunt, nisi mittantur?* (Rom. vi.) Videlicet non a seipso debet prædicator officium prædicandi præsumere. Sed, ut ait Christus, *sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (Joan. xx). Pater Christum, Christus apostolos, apostoli archiepiscopos, archiepiscopi episcopos, episcopi presbyteros mittunt, videlicet quando ordinant eos. Ab hac autem missione tunc monachus immunis est, quando sacris ordinibus adhuc functus non est. Quomodo ergo prædicabit?

## DE EODEM EPISTOLA AD EVERARDUM

ABBATEM BRUNWILLARENSEM (51).

EVERARDO, Dei gratia venerabili ac religioso Brunwillarensis cœnobii abbati, frater RUPERTUS salutem et omne gaudium in consolatione Spiritus sancti.

(51) Septimus abbas monasterii Brunwillarensis, Everardus appellatus, vir admodum timorate conscientie existens, cum plures haberet ecclesias regendas, conscientie stimulo ductus ex eo quod etymologia monachi sonat idem quod singularis sive solitarius, timuit fratres suos ecclesiis prædicere;

Verus et longa querela, reverende Pater, quorundam est clericorum ista, quam dicitis, scilicet cur monachus, cum sit sæculo mortuus, audeat usque officium subire prædicandi, baptizandi, communio-

unde et consuluit super hac re eruditum ac famatum virum venerabilem dominum Rupertum monasterii Tuticiensis abbatem, qui tale ei in chartula remisit responsum. — *Ex Hist. ven. abb. monast. S. Nicolai in Brunwillare.*